DE JVRE PERSONARVM, QVAS VVLGVS LARVAS SEV MASCHERAS DICTITAT, IN ANNIVERSARIA...

Johann Christian Nohr, Christoph Heinrich “von” Berger





Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE

JVRE PERSONARVM,

QVAS VVLGVS

LARVAS SEV MASCHERAS DICTITAT,

IN ANNIVERSARIA CARNISPRIVII, QVOD *CARNAVAL* VOCATVR,

SOLEMNITATE,

Vom

CARNAVAL-Recht/

QVAM,

PRAESIDE

CHRISTOPHORO HENRICO DE BERGER,

COMITE PALATINO CAESAREO, P. P.

DICASTERIORVM JVRIDICORVM, QVAE VITEMBERGAE FLORENT,

ITEMQVE JVDICII PROVINCIALIS, IN MARCHIONATV INFERIORIS

LVSATIAE, ASSESSORE,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES

ET

PRIVILEGIA DOCTORALIA

OBTINENDI,

AD. D. XXI. MART. M D CC XX.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSTITVTIS,


TVEBITVR

JOANNES CHRISTIANVS NOHR,

LANGENSALZA-THVRING.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

aa



§. I.



Est quoddam anniuersariae solemnitatis genus, quod uulgo *Carnaual* uocatur, publici ritus apparatu distinctum, et tanto Regum, Principum Rerumque publicarum studio cultum ac celebratum, ut eius memoria, tanquam suscepto institutae celebritatis certamine, longe lateque recolatur, et omnis fere, qua patet, Europae amorem hilaritatis exemplo excitare ac complecti uideatur. Quam ob rem, operae pretium nos facturos, arbitramur, siquidem idem illud argumentum, pro dignitate eiusdem ac excellentia, pertractatione tamen originis huius solemnitatis, quae ex peruestigatione cum nominis, tum maxime rei ipsius, critico historicoque more, instituatur, in aliud tempus nobis reseruata, modo, qui Iuris peritos deceat, et uberiore explanatione pertractetur, idque ea differendi lege, ut, quid hoc loco et moralis ratio, (cui sententia, ut in laruis nihil inesse uitii culpaeue

 intelligi

intelligi possit, si modo intra sobrium et innocentem consistant usum, et honestatis iustitiaeque finibus contineantur, repugnare minime uidetur,) et in primis iuris disciplina, praecipiat, diligenter expendatur, ac aequitati morali ciuilis superstruatur.

§. II.

Ratione autem nominis hic meminisse iuuabit, *Carnaualis*, *Carneualis*, et *Carnoualis*, uocabulis, cum *Carnispriuii* et *Carneleuaminis*, nominibus, si non prorsus atque omnino, certe ita, ut parum inter ea intersit, conuenire. Etenim intelligendum est, nomen Carneualis, praecipuo Italorum Gallorumque usu inuentum et frequentatum, atque omnis prope Europae dicendi consuetudine comprobatum receptumque, tanquam per iocum id uelle, quod *Carne*, uel Latine, *Caro*, *uale*. Hoc est: Caro, uale, ubi prius aliquot adhuc hebdomadas nos satiaueris, adeo, ut nos tui postea taedeat fere, et, quod imminet, ieiunii quadragesimalis tempore, pisce, oleo, ouo, contenti, tui facilius obliuiscamur. Similiter, nonnihil origini consuli, nec nullum imponi praesidium, opinamur, si contendamus, Carneual a Caro, uale, non minori iure, quam Carneleuamen a Carnis leuamine, et Carnispriuium ab eius priuatione, duci posse.

§. III.

Aequitate, e contrario, ciuili designamus iustum magistratus, laruarum usus, festiuis temporibus,

bus, ubi id moris ſemel tenuit, bene dirigendi et gubernandi temperamentum, adeo, ut quamuis ex conniuentia eae tolerentur, ſuis tamen cancellis et limitibus prudenter circumſcribantur.

§. IV.

Ac, dum, conniuentibus quidem oculis, ut VLPIANI uerba e *l. 4. §. 1. π. de manumiſſ.* huc quodammodo referamus, non habita ſtricti iuris ratione, ſuperiorem in Republica perſonatos laruatosue, ſeparatis quibusdam ſolemnium temporibus, intueri poſſe, aſſeueramus, nihil aliud dictum uolumus, quam patientia, quae Valentiniano et Valenti Imperatoribus, pro conſenſu eſt, *l. 6. §. 1. C. de poſtul.* ac quadam ueluti diſſimulatione, huius generis conſuetudines, quae quidem inueterauerint, a principe indulgendas quidem eſſe, cum ſubiectorum animos, ſpatio interualloque negotiis et curis dato, relaxari nonnunquam oporteat: nullo autem modo eo licentiae progrediendum, ut, cum nondum prouinciae cuiusdam a tempore, memoria non comprehendendo, innotuerint perſonae geſtaeue ſint, libere adeo publici iuris reddantur. Impedimento enim eſt abuſus, non leuis metus, quem a uulgi et ima uulgi fece, in his talibus et conſimilibus ludicris, uix bene diſcerni ſolere, adhuc creditum fuit atque exiſtimatum.

§. V.

Aliud futurum, haud difficulter dignoſcitur, ſi ſoli domino, eiusque aulae et curiae, hae oblecta-

 tionum

tionum ambitiones ſartae et tectae ſeruentur, cum Principes, ob lenimenta, quibus ardua curarum et imperii moleſtias diſtingui licet, ſuo modo melius decere uideantur, nec tam prono adeo ſenſu in deteriorem partem, et prauam ſiniſtramque publici exempli legem, ulterius detorqueri mereantur. Quo pacto adduci non poſſumus, ut credamus, illud Auguſti, Imperatoris, praeſertim cum Deaſtrorum illius aetatis illuſio ſub hoc quaſi inuolucro lateat, epulum in reprehenſionem magnopere incurrere, uulgo δωδεκάθεον nominatum, quod amicis dediſſe, apud TRANQVILLVM in eius *uita, Cap. LXX.* legitur, in quo, Deorum Dearumque habitu exornati, conuiuae diſcumbebant, et Caeſar ipſe, Apollinis praecipue ornatu ueſtitus, conſpiciebatur. Licet diffiteri non poſſimus, bonum cetera Principem rationem conditionemque illorum temporum prudentius circumſpicere potuiſſe. Acclamabant enim publice, Deos frumentum omne comediſſe, cum ſumma penuria et fames, inter haec, ciuitatem urgeret. Eodem attinet, quod *Lib. XII. cap. 9.* ATHENAEVS refert, Alexandrum illum Magnum, cum lautius ſolito conuiuia celebraret, nunc Ammonis habitum purpureum et cornua, tanquam Deum, geſtaſſe, nunc in Dianam, aut Herculem, aut Mercurium, mutatis perſonis, ſe refinxiſſe. Quae quidem formae fingendae genera, niſi a faſtu, cum diuini honoris affectatione coniuncto, et Alexandro in more poſito, uitium fortaſſe capiant, ob liberiorem certe animi exhilarationem in tanto Principe minus uituperabuntur.

§. VI.

§. VI.

Quod si frequentissimum, et maioribus nostris tritum maxime, Torneamentorum lusum, quem, uno nomine Torneamen appellatum, idem esse, quod Troianum agmen, DRACO de *Patriciis p. 269. n. 40. seqq.* iuxta cum aliis, opinatus est, contemplemur: dici uix potest, quot quantisque occultationum, uel si mauis, delaruationum generibus, una cum mascheratis, ut ita dixerim, equis lusores eius campo quondam inerrarint, hodieque diuagentur in illis, quae in illarum locum successerunt, exercitationibus iaculatoriis, uulgo Caroussel, Kopff-oder Quintan-und Ringel-Rennen, et sic deinceps. Nihilominus, praeterquam, quod B. noster CARPZOVIVS *P. III. Decis. 296.* a *n. 2.* usque ad *n. 11.* et *Practic. Crim. Part. III. Qu. 134. n. 15.* haec aliaque huius generis, equestria et militaria certamina ueluti licita, copiosius asseruit ac defendit, ab ipso etiam IVSTINIANO IMP. in *l. 1. et 3. C. de aleator.* modo sine dolo et callidis machinationibus fiant, quasi permittuntur. Ait enim: *Duntaxat autem ludere liceat* μονόβολον, id est, singulari saltu; *liceat item ludere* κοντομονόβολον, hoc est, saltu conto suffulto, κυντανὸν κόντακα, seu Quintanum contacem, *et item liceat ludere* (ubi alii secundum DIONYSIVM GOTHOFREDVM in *Annotat. ad d. l.* legunt κατ' ἄμφω, uel Catampo uel Catabo, quod genus ludi est Festo) χωρὶς τῆς πόρπης, *id est, ludere uibratione Quintiana, absque spiculo siue aculeo aut ferro, a quodam Quinto ita nominata hac lusus specie. Liceat*

item

item ludere περιχυτὴν, id est, exerceri lucta: liceat uero etiam exerceri hippice, id est, equorum cursu, seu hippodromo absque dolo et circumuentione. Quo quidem loco accumulare non uacat, quae enarratores ad *has LL.* de hippice, Troia siue Pyrrhica, cui similes sunt κιντζούθρα et τόρυς ludi, explicati a Nicephoro aliisque pugnis, tam pedestribus, quam equestribus, coaceruarunt. Quamuis autem decreto concilii Lateranensis, quod repetitur in *c. 1. et 2. X. de Torneam. a. 1179.* Romae habiti, eiusmodi certamina penitus interdicantur: tamen ea tantum ibidem uetari, in expedito est, in quibus, per prouocationem, certo non solum corporum, sed etiam animorum, exitio, pugnabatur, ut auctor est Carolvs Sigonivs de *Regn. Ital. Lib. XI. p. 273.* Quam ob rem Ioannes XXII. *c. 1. X. de Torneam.* hanc, modo commemoratam, Clementis Pontificis Constitutionem, cum eius rationem partim non satis generalem, partim, ob alias quasdam περιστάσεις, quae ab eo indicantur, nonnihil incommodam, deprehenderet, in quibusdam regnis Torneamenta inhibentem sub poena excommunicationis et *interdicti, a. 1316.* rescidit irritamque fecit, et illos, qui huius occasione in iudicium adducti erant, absoluit. Ecquid tandem sanctiones Pontificum, ut hac in re uerbis utar Carpzovianis, *memorat. Decis. 296. n. 9.* ad nos, quae sane derogare nequeunt legibus Imperatorum? quibus pugilationem artemque athleticam nouimus probatam et suffultam, *l. 4. in pr. π. de his, qui not. infam. l. un. C. de athletis, l. 5. C. quae res pign.* Ne uero cuiquam

quam in mentem ueniat suspicari, ac si nos illorum studiosis ludorum, quorum mentionem fecimus, laruas affinxissemus tantum, praeter ea, quae hodierna et publica fama, von denen Gesellen-Nationen etc. Ring-rennen / quibus certe peragendis indutae subsint personae, oportet, tot retro uicibus, nos quoque docuit: audiat, quaeso, uerba LIMNAEI, *Tom. I. Addit. Iur. publ. Lib. VI. c. 5. n. 125.* De ueteri quodam apud Maiores nostros hastiludii genere, Bundwerck dicto, quod idem cum illo, in Principis sui Bibliotheca depicto, coniicit, cui addita inscriptio, das Rennen in den alten Pund genannt. Eodem in libro, repraesentari, testatur hastiludia alia, nempe, das alt Teutsch Gestech in hohem Zeug / das Teutsch alt Krönlin Gestech / das alte Geschift Tartzen Rennen / das Welsisch Rennen in den Armen / das Feldrennen in den stehlin Pund / und stehling Ligers / ein Turnier zu Roß in Schimpf und Ernst zu gebrauchen / das Rennen mit dem Wulst / und die Tartzen vest angezogen / das Geschift alt Teutsch Scheiben rennen / das Gestech / so man nennt / im Pain / das alte Rennen in den Scheiben Schweif / und den das Pfannen rennen. Ex quibus profecto uerbis iudicari facile potest, antiquitus haec talia ludorum genera, laruis adhibitis, exerceri consuesse, neque adeo, capite forte et collo ueluti obtorto, tracta ad nostram memoriam, quae protulimus, uideri. Subiungit autem, quem laudauimus, LIMNAEVS, se quidem ex his picturis propriam cuiusque hastiludii notam non deprehendisse, et quae inter illa fuerit differentia, undeque nominum sit diuersitas, antiquitatis

quaſi nube tegi. De quibus plura qui uolet, inter multos alios adire poterit IOAN. AQVILAM, de *Omni ludorum genere*, qui, pro inſtituti ratione, ſat diligenter et bene, hoc argumentum explicuit. Quid autem de GEORGII RÜXNERI *Torneamentorum libro*, uulgo Thurnier-Buch / ſentiendum ſit, et num ſubleſtae non nihil fidei, idque non ratione ipſorum haſtiludiorum, ſed circumſtantiarum quarundam confictarum, habita, putari queat, uide, quae de eo ZEILERVS in *Continuat. Itiner. German. I. p. 36.* aliique, ab eo commemorati, item DN. STRVV. in *Differt. de doct. impoſt. §. 37.* exiſtimarunt.

§. VII.

Fac uero, ſequamur filum uulgo receptum, atque adeo ius Maſcherarum ſecundum *perſonas*, *res* et *actiones* exigamus. Primum igitur dicendum eſt de perſonis. Vbi dixiſſe iuuat, maſcherarum uſum, per ſe ſuaue natura, *ἀδιάφορον* eſſe, ac, neque rectae rationi, neque diuino illi iuri, quod omnibus eſt obſeruandum, repugnare, quamuis circa illum uaria contingere ſoleant, quae uel mala ſint, uel malis dent occaſionem, atque propterea expediat, uſum illarum uel temperari, uel interdici plane ac prohiberi. Qualem legem in Gallia Franciſcus I. tulit, quae tamen paulo poſt exoleuit, LANGLAEVS, *Semeſt. l. 8. c. 9.* GREGOR. THOLOSANVS, *Syntagm. Jur. Vniu. lib. 39. cap. 11.* Similem in Anglia extare, docet, POLYDORVS VERGILIVS, de *Rer. inuent. l. 5. c. 2.* qua capitale eſt, ſi quis perſonam induerit, PACICHELLIVS, de *Laruis c. 6. p. 84. ſeq.* Pari modo in Ducatu Würtembergico

gico Bacchanalia, sub poena carceris, uetita sunt his uerbis: Dieweil auch das Mommen und die Butzen-Kleider/ sonderlich die/ da sich Frauen in Manns- und Mannen in Frauen-Kleider verstellen/ 2c. so verbiethen Wir ernstlich/ daß Niemand zu einiger Zeit des Jahres mit verdeckten Angesicht/ oder in Butzen-Kleidern gehen soll/ bey Straffe des Thurns oder Narren-Häußleins. uid. *Ordin. Prouinc. Würtemberg. tit. 102.* von Fastnacht-Küchlein und Butzen-Kleidern. §. 3. Quod si itaque in ciuitate neque mores, neque ius scriptum, usum Mascherarum prohibeant, permissum eundem esse, merito censeas, arg. *l. 28. §. 2. π. ex quibus caus. mai. l. ult. C. de reb. alien. non alienand.* ubi *Glossa* et *DD.* et quidem omnibus, cuius tandem cunque status sint et conditionis. Quae enim ex permissorum genere sunt, omnibus licent, nisi fortasse prohibita esse, doceri possint, arg. *l. 43. §. 1. π. de procurat.* ubi *DD.*

§. VIII.

Quum uero, natura duce, omne hominum genus in mares ac feminas diuidatur, de utrisque ordine nunc erit dicendum. De uiris uero non adeo multum est dubii, quibus pro maiori perfectionis ac dignitatis excellentia, multa licent, quae sexui elegantiori, ob animi fragilitatem, qua plerumque laborat, uel ob pudorem quoque, denegari solent, *l. 1. π. §. 5. de postuland. l. 2. π. de R. I. l. 8. π. de senat.* adeo, ut in multis iuris partibus deterior feminarum, quam uirorum, sit conditio, *l. 9. π. de stat. hom.* Atque,

cum mascherarum usus ideo maxime receptus sit uel permissus, ut honesta quadam uoluptate incommoda, quae onera ciuilia, uel domestica, secum ferunt, mitigentur, onera uero ista sexum, praesertim uirilem, premant, huic potissimum usum personarum permissum esse, nemo dubitabit.

§. IX.

De feminis uero haud immerito dubitatio oriri potest. Namque certissimum est, et nemo facile in dubium uocabit, mascheras quam maximas pudori insidias struere, ac, praecipue sexui imbecilliori, et ad lapsum hunc facili, esse periculosas.

Quem praestare potest mulier galeata pudorem,
Quae fugit a sexu?

inquit IVVENALIS, *Satyr. 6.* Omnibus itaque modis cum cauendum sit, ne feminae honestae in periculum eiusmodi incidant, uel tale quid admittant, ex quo laesae pudicitiae uel suspicio suboriri queat; arcendae omnino ab his praecipitibus, ex quibus in lasciuiam prolabi possunt, uidentur. Quorsum spectat *Phintyos, filiae Callicratis Pythagorae*, apud STOBAEVM, *Serm. 72. pag. 406. seq.* documentum, ut *matres familias abstineant ab Orgiis, Bacchi et a matris Deum sacris*: omniaque illa, quae, pro seruando feminarum pudore, Romana Iuris prudentia, tam solicite, excogitauit. Ad quae inter alia etiam pertinet, quod mulieribus honestis minime licuerit, prodire in scenam, aut artes ludicras exercere. Nam quae talia admittebant, infames habebantur, *l. 44. π. de Rit. Nupt. l. 1. 2. §. ult. π. de his, qui*

not.

not. infam. Quoniam tamen non omnino, ex quibus occaſionem mala nanciſcuntur, uel quae cum abuſibus coniuncta ſunt, et caſu uel fortuito mala fiunt, ſtatim illicita ſunt: ideo nec propter malos, remedia ad malum utentes finem, boni ab uſu illius protinus arcendi, neque ullum aliud interdictum extat, quod feminas a maſcheris plane remoueat; in illisque, ubi in ſexu debiliori ſingulare nihil eſt conſtitutum, par utriusque eſt conditio, *l. 4. C. de liber. praeter.* PRVCKMANNVS, de *Different. utriusque ſex.* Alia item ratio eſt feminarum, quae lucri cauſſa artem ludicram exercent, quam illarum, quibus de iam eſt quaeſtio. Praeterea feminis non inuidendum eſt honeſtum uoluptatis genus, qua curas interpellent domeſticas ac moleſtias, quae ſexum hunc, prae altero, in procreanda ſobole premunt, et ex ciuilibus quoque oneribus in eum redundant, leniant. Itaque concludendum erit, uſum maſcherarum feminis eſſe permiſſum, illasque tam perſonatas, quam absque maſcheris, perſonatorum coetui intereſſe, uel has, pro regionis more, admitti poſſe; modo abuſum fugiant, nullumque obſtet ius ſingulare, quod huic ſexui terminos finesque ponat.

§. X.

At, cum ſine abuſu uſus is uix eſſe poſſit, ex eaque re maximum feminis honeſtis periculum immineat, quarum pudor, occaſione data, facile uim pati, atque adeo ex his illecebris detrimentum capere poteſt, ſatius omnino eſt, omnes feminas lege

 arceri

arceri ab his malorum irritamentis. Romae conſtitutio habetur, qua non licet mulieribus, capite corporeque perſonato, incedere. Nam, quae larua ueſtituque fictitio deprehenditur, meretricis loco habetur, et poenam 300. Scutatorum, aliamque arbitrariam, etiam corporis, pro arbitrio iudicis, incurrit. Ex quo tamen colligitur, uultum licere perſona tegere matronis, modo ueſtitu ſueto, nec adulterino, utantur. Sapienter ita ſenſiſſe Albertum, Saxoniae Ducem, nemo, ſaniori praeditus mente, negabit, quem, CRANZIVS refert, *Saxoniae Lib. XII. c. 23.* cum Lubecam ueniſſet, perſonatarum feminarum ſpectaculo offenſum, Lubecenſem ſenatum commonefeciſſe, ut abuſum illum antiquaret, qui ut multis, alioqui pudicis, feminis praeſtaret audaciam: ſic impudicis ſtultitiae daret incrementum. Immo honeſtas decet feminas, abſtinere ſponte ſua a maſcheris, ne forſan uerecundia illarum ſub perſona minus ſe contineat, ſed citra perſonam ſe proferat ac oſtendat, ut loquitur LVDOVICVS VIVES de *Femina Chriſtiana.* conf. PACICHELLIVS de *Laruis c. 6. p. 92.* Cogitent etiam, non omne, quod licet, uel impune fit, honeſtum etiam eſſe, *l. 42. pr. ff. de Rit. Nupt.*

§. XI.

Praeſertim uero caueant, ne teneras adducant filias ad haec ſpectacula, omneſque ſibi dictum putent, quod MARCVS AVRELIVS ad Fauſtinam ſuam dicit apud GVEVARAM, in *Horolog. Princip. Lib. II.*

c. XI.

c. XI. Haec ideo, mea Faustina, dixi, quoniam filiam in theatra adducis, illam in capitolium comitaris, inter gladiatores uersari; et pantomimis spectandis interesse, permittis, et, quod indignissimum, ipsa aetate sese teneram, tu, non ualde prouectam te, minime cogitantes, per uicos urbis ripasque fluminis discursitatis. Equidem id non uitupero, quod, filiam tuam improbam esse, censeam, sed quod ansam illi, ut minime proba sit, abs te dari, uideo. Crede mihi, Faustina, ad titillationem carnis quod attinet, nec iuuenibus nimis fidendum, neque de senibus bene sperandum: Sed tutissimum in utrisque, ut peccandi occasiones cuncti fugiant. Ideo scilicet uirgines Vestales intra parietes inclusae continentur, ut occasiones, quae in plateis offeruntur, uitent. Non, ut stolidiores, secessum amant, sed, ut prudentiores, congressum fugiunt.

§. XII.

Ac uiduae si quando factae sunt, quam minime eas decet his uoluptatibus indulgere. Gvevara, *Lib. III. cap 40. seq.* Praesertim autem grauidae feminae, principes maxime, et summo natae loco, hoc sibi dictum putent, ne fortasse ex insuetarum formarum aspectu, uel ex alio his in turbis euentu, sibi ipsis malum contrahant, uel, si proprio non moueantur periculo, foetus, quem in utero gerunt, salus periclitetur, atque, uel abortus procuretur, uel monstrosi aliquid partui concilietur. Etenim quo pretiosior est liquor, et uas, quo continetur, fragilius et tenerius, eo sane maior est periculi, ne confringatur, metus. Cum igitur grauidae natura nihil fragilius, et infan-

infantuli anima nihil sit pretiosius, longe maxima opus esse cura, quis non uidet? Gvevara, *Horol. Princ. L. II. c. 14. pag. 271.* ubi plura in hoc argumentum legi possunt, et *c. 17. p. 283.* ubi de choreis, saltationibus et cursibus, pauore repentino turbaque conferta, uitandis, agit.

§. XIII.

Addunt nonnulli his aliud hominum genus, ad quod hermaphroditos referunt, qui uero non tam nouum constituunt sexum, quam ad utrumque inclinant et accedunt. Quicunque itaque in his sexuum praeualent, ad hunc referendi sunt, atque adeo, uel pro maribus, uel pro feminis, habendi, *l. 10. π. de stat. homin.* et istius sexus, quem maxime produnt, iure in mascherarum usu, haud immerito utuntur. Vtrum ἀνδρόγυνοι, utrumque sexum perfecte qui sistant, dentur, dubium est, cum eiusmodi hominis exemplum uix queat produci. Si tamen talis unquam homo reperiatur, rectae rationi non adeo repugnare, eum, quem duplici natura bono ditauit, utroque uti posse, uidetur. At, quum promiscuo hoc usu alii facile offendi et irritari possint, magistratui, ut unum eligat, nec, electo uno, alterum praeferat sexum, sedulo curandum, Sanchez, de *Matrim. Lib. 7. Disput. 106. n. 2.* Hahnivs, ad *tit. de stat. bom. n. 3.* Quibus compositis, mascheris eiusmodi hominem uti posse, ita, ut sexus, quem elegit, rationem habeat, nemo dubitabit.

§. XIV.

§. XIV.

Aliud hominum discrimen natura suggerit, quo in natos, et nascendos, dispescuntur. Qui in uentre adhuc feruntur, et nondum in rebus humanis sunt, *l. 10. §. 1. π. de uulg. et pupill. substitut.* per rerum naturam, mascheris non possunt uti. Est tamen etiam illorum in hoc argumento habenda quaedam ratio, ita scilicet, ut, quod antea diximus, matres, quae uterum gerunt, a coetu abstineant laruatorum, ne fortasse ex aspectu et terrore foetui fraus fiat, et calamitate abortus obruantur, arg. *l. 2. π. de mort. infer. l. 18. π. de stat. homin.* Cauere etiam debent personati, ne in praegnantes incidant mulierculas, uel aliquid, quo futura spes prolis extingui, uel malum foetui inferri queat, moliantur. Natos autem mascheris uti posse, quis dubitaret? quod nisi permitteretur, personis animi corporisque labores mortalium minueret nemo ac leuaret.

§. XV.

Aetatis ratione homines docentur esse impuberes alii, alii puberes; quorum isti uel ad infantiam, uel pubertatem, magis accedunt; hi uero imperfectae alii aetatis, quos minores; alii perfectae sunt, quos, quinque et uiginti et in Saxonia unum et uiginti, annos natos, maiores uocamus, de quibus omnibus *DD.* passim ad *tit. de minor.* consulantur, et, qui legatur, maxime dignus est HOPPIUS, ad *pr. I. de auctor. tut.* De infantibus tantum non frustra labora-

boratur. Quum enim perexiguum et fere nullum intellectus habeant usum, et delectatione, quam perfectae aetatis homines ex mascheris capiunt, minime moueantur, parum etiam rem istam, immo nulli curabunt. Neque tamen negare ausim, dari nonnullos, qui mature sapiant, atque in tenella aetate his rebus delectentur. Personas sumere his hominibus non licere, dici nequit, dum de eiusmodi infantibus, infantiae uel pubertati proximis, interdictum speciatim proferatur. Veruntamen, satius esse, nemo negabit, ab his rebus aetatem teneram arceri. Namque facile corrumpi possunt tales, et, adulta licet aetate, satis tamen cito, uanitatibus assuescunt. Conf. MANZIVS, *Decis. Palatin. qu. 50. n. 41.* Senes ipsa aetas, si nulla lex, auocat a mascherarum usu. Etenim uerecundos facit senectus, quam eiusmodi ludorum taedium cepit. Veniunt dies, et appropinquant anni, quos sibi non placere, aetate graues profitentur, ECCLES. *XII.* quî ergo placere possent id generis uoluptates? Nequicquam interim inficior, dari etiam homines, quos nec decrepita aetas a uoluptatibus deducit. Quem quaeso, fugit, Alexander VI. Romanus Pontifex, cuius propensissimum, in spectacula uidenda, animum, cum alia rerum monimenta, tum BVRCHARDI historia arcana, quam illustris LEIBNIZIVS luci publicae dedit, satis testantur. At uero praestaret, eiusmodi homines praesentem ante oculos habere mortem, atque ad aliam sese uitam praeparare, quam ridiculis interesse tumultibus personatorum, quas in senum uoluptates,

eos-

eosque, qui, in uestitu, leuitate iuuenili rapiuntur, grauissime inuehitur GVEVARA, *Horolog. Princip. Lib. III. c. 24.*

§. XVI.

Romano iure, pro diuersa homines libertate diuiduntur in liberos et seruos, quorum omnium conditio satis nota est, nec adeo opus, ut hac in re simus multi. Illud omnino dicendum est, neque legem extare, quae seruos retrahat a mascherarum usu, neque pro ipsa rei natura esse arcendos, quum non minimam iucunditatis speciem habeat, si impares dignitate ac inaequales tantisper inter se commisceantur, dominusque personam serui, seruus uero domini, sumat, PACICHELLIVS, de *Laruis, cap. 8. pag. 120.* et *insequent.* Ita serui ab his ludis non repelluntur, quos Romanorum iura exercebant, Romanosque ueteres ad ludos accersiuisse, notum est, utpote quibus Saturnalia, dominorum habitu, celebrare quondam licuisse, DION CASSIVS scribit *Lib. LX. pag. 677.* et ATHENAEVS. *Lib. XIV. cap. 10.* Quid igitur esset, quod Nostrates hodie famuli, quorum conducta opera utimur, liberi alioquin homines qui sunt, arcendi ueniant, hominesque proprii? si modo id agant, ut, immodestia uel nimia turba, aliis ne graues sint, atque molestiam creent illis, qui honeste laetantur. Quae capienda esse, quilibet intelligit, de ea libertate, quam domini arbitrium seruis permittit. Modum enim sic ubi excedant, castigatione

ad officium procul dubio poterunt reduci, *DD.* ad *l. un. C. de emend. seru.*

§. XVII.

Quod si quis hac occasione quaereret, an, in eiusmodi laetitiarum solemnitate, seruus laruatus a domino personato, amicis praesentibus, manu possit mitti? illud affirmare non dubitarim, quandoquidem ex *§. 2. I. de libertin.* constat, seruos quocunque tempore a domino manu posse mitti. Quod ita tamen temperandum est, ut personae ipsae, manumittens et manumittendus, nec non et testes, qui aduocantur, cognosci possint, atque adeo certi de animo et facto esse queamus. Neque aliud dicendum uidetur, si quaestio instituatur de manumissione uindicta, an scilicet, praesente praetore, uel praeside personato, a laruatis, uel aliis fieri possit manumissio. Nam si quocunque in loco actionibus, quas uoluntariae iurisdictionis uocamus, et quocunque tempore, defungi possumus, *l. 2. π. de offic. Proconſ.* Si in transitu manu serui mitti possunt, ueluti: quum Praetor, aut Praeses, aut Proconsul, in balneum, uel in theatrum, eant, *l. 7. π. de manumiss. uindict. dict. §. 2. I. de libertin.* quidni et inter personatorum coetus, aperta tantummodo facie, id fieret? Sed uix est, ut assentiar. Namque, ut taceam, uerba illa non sic capienda, ac si uel in platea, uel balneo, uel theatro, manumissio coram Praetore fieri potuisset, sed ciuili intelligenda esse modo, minime nimirum necesse esse, coram Tribunali actio haec ut fiat, sed et extra locum istum,

iſtum, priuatis in aedibus, non minus legitime administrari, HOPPIVS, ad *§. 2. I. de libertin.* parum ſane conueniens maieſtati praetoris eſſe, arbitror, inter iocos et ludos ſeria agere, atque uoluntariam iuriſdictionem exercere. Contemtionem, quam imprudentia haec parit, magiſtratus, qui ſapit, canet, *l. 19. π. de offic. Praeſ.* Ecquis enim non rideret, Praeſidem uel Praetorem, perſona, ſaepenumero ridicula, indutum, ſeuerum magiſtratus uultum oſtendere uelle? Ac, licet forte parum apta haec ſint, non tamen prohibita ſtatim ac nulla dixeris: interdicta nihilominus cenſentur, tacite ſaltem, quae magiſtratus minuunt auctoritatem ac laedunt, quando inter iocos geſta, pro re, publica auctoritate facta, ab emunctioris naris uiro, haberi nequeunt.

§. XVIII.

Paternam poteſtatem ſi reſpicias, homines alios ſui, alterius alios iuris eſſe, deprehendes, h. e. patriae poteſtati ſubiectos quoſdam, quoſdam minus. Vtroſque animos, labore feſſos, uoluptate hac reficere poſſe, arbitramur, dum interdictum adducatur, quod ab ea quos excludat. Propterea tamen, quod filii ſubſunt imperio patris domeſtico, perſonis uti prius aliterque non poſſunt, quam patris uoluntas id permittat, GROTIVS, de *I. B. et P. lib. II. cap. 5. §. 2.* PVFENDORFIVS, de *I. N. et G. Lib. VI. cap. 2. §. 7. ſeq.* Atque hanc ob cauſſam nullum quoque eſt dubium, quin pater, ſi quando ſeſe filius, uel filia, perſonatorum coetibus, ipſo inuito, adiungant,

gant, pro re nata modice liberos castigare queat, arg. *l. un. C. de emend. propinq.* aut, si haec castigatio minus sufficiat, liberos immorigeros iudici puniendos offerre, *l. 3. C. de patr. potest.* Etsi enim hi coetus publice habeantur, ac publice quoque permittantur: in publicis uero caussis filius pro patrefamilias habeatur, *l. 9. π. de his, qui sui uel alien. iuris.* sciendum tamen est, publicam caussam in *dict. Lege* talem intelligi, quae statum publicum, publicamue utilitatem, uel ipsa spectat, uel per alia promouet aut impedit, qualis haec, de qua in praesenti agimus, neutiquam dici potest.

§. XIX.

Excipit hanc tertia hominum diuisio, quae ciuitatis iure nititur, qua scilicet homines abeunt in ciues et peregrinos. Peregrini autem, sensu Romani iuris, dicuntur, qui ciues non sunt, siue nunquam ciues fuerint, siue ciuitatem Romanam amiserint: siue alterius ciuitatis sint, siue nullius. DVARENVS, *Disp. anniuers. Lib. I. cap. 9. pag. 19.* qua de re pluribus ac liberalius agit SCHILTERVS, *Differt. de Iur. Peregrin. §. 9.* qui et in sequentibus exponit, quo modo hodie peregrini apud nos Germanos primo dicantur, qui ex aliis regni finibus ad nos ueniunt, imperioque nostro non sunt subiecti. Deinde, qui, licet imperii Romani sint subditi: non tamen ex eadem nobiscum prouincia, et eiusdem terrae domino subiecti; et denique, qui, cum sint eiusdem prouinciae: non tamen eiusdem municipii, aut oppidi, ciues.

Quo

Quo uero cunque nomine ueniant peregrini, nulla lege, nec in Italia, nec Gallia, nec Germania, ubi quidem ſolemnia Bacchanaliorum locum habent, peregrinos uidemus excluſos, quin et lubentiſſime ad haec inuitantur gaudia, et ſaepenumero illorum gratia inſtituuntur. Neque etiam ab his gaudiis legati exterorum, miniſtrique publici, cuiuſcunque ſint dignitatis ac ordinis, excluduntur, quorum dominorum ſaepe intereſt, ut his principum, ad quos miſſi ſunt, delectamentis interſint, in quibus nonnunquam occaſionem aucupari queunt, cauſſam domini ex uoto gerendi. Quo tamen loco prudentis miniſtri eſt, ſcite cauere, ne quid contra dignitatem faſtigii, quod ſuſtinet, admittat, aut turpiter ſe det, ſuumque dominum riſui hominum exponat, aut occaſionem det ſimultatibus, ex quibus contentiones, et alia incommoda, naſcantur. Sane RICCIVLLVS in *Tr. de Perſonis, quae in ſtatu reprobo uerſantur, Lib. VI. cap. 4.* monet, ut miniſtri publici, ob decus et gradus maieſtatem, hos coetus frequentare, deprecentur, PACICHELLIVS, de *Laruis, cap. 7. pag. 100.* Conf. de eadem Legati prudentia ALBERICVS GENTILIS, de *Legationib. Lib. III.*

§. XX.

Ciues, ciuitatis iura qui participant, nec aliter, ac peregrini ſuum nomen, uariis ciuitatem titulis tuentur, illis in locis, ubi haec gaudia in morem abierunt, procul dubio his frui poſſunt. Namque in horum uſum, publica ut leniant incommoda, eiuſmodi res

di res admitti solent. Propterea uero, quod, qui in eadem uiuunt ciuitate, hodie ex iure Canonico in clericos et laicos diuiduntur, qua de distinctione ZIEGLERVS ad LANCELOTTVM, *Lib. I. tit. 4.* uidendus est, de utrisque hoc erit loco dicendum. Ad clericos quod attinet, hos, quod diuinis officiis mancipati sunt, ab omni strepitu alienos esse, decet. Qui si praetulerint uitam honestam, et nullo reprehendendam modo, quam Apostoli monita postulant. *1. Tim. III. 2. Tit. I. 7. 8.* populumque decenti industria instruxerint, ut is, ad illorum hominum honestatem respiciens, multis peccatis abstineat, fore, certum est, ut aeterna hominum salus rectius se habeat, et facile nobis tribuatur a maximo Deo et Saluatore nostro Iesu Christo clementia conueniens, ut ait IVSTINIANVS, in *l. 34. pr. C. de Episcop. audient.* Quam ob caussam IVSTINIANVS eadem lege prohibuit, ne clerici cubos siue tesseras contrectent, nec his ludentes spectent, nec manus, oculos et aures prohibitis ludis polluant, alios ad ea ludicra inuitent, aut scenicorum uel thymelitarum spectatores fiant ludorum, aut, quae in theatris certantium ferarum fiunt, pugnarum. Quale interdictum etiam extat in *Nou. 123. cap. 10. Auth. Interdicimus C. de Episcop. et Cleric.* quod factum est ante IVSTINIANVM ab HONORIO et THEODOSIO Imperatoribus, in *l. 17. C. de Episc. et Cleric.* quae est *l. 42. C. Theodosian. de Episc. Eccles. et Cleric.* ubi IACOBVS GOTHOFREDVS et de aleae interdicto sigillatim agit. *Nou. Leon. 87.* Apud ISIODORVM de *Eccles. Officiis Lib. II. c. 2. pag. 596.* haec leguntur, quae GRATIANVS decreto inseruit *C. His*

igi-

igitur 3. d. 23. His igitur Lege Patrum cauetur, ut, a uulgari uita seclusi, a mundi uoluptatibus sese abstineant; non spectaculis, non pompis, intersint. etc. non uagis oculis, non effraeni lingua, aut petulanti, fluidoque gestu, incedant, sed pudorem et uerecundiam mentis simplici habitu incessuque ostendant etc. uiduarum ac uirginum frequentationem fugiant. Idem GRATIANVS *ex Concilio Nannetensi c. Nullus 7. d. 44.* haec addit. *Nullus presbyterorum etc. nec plausus, et risus inconditos, et fabulas inanes, ibi referre, aut cantare, praesumat, aut turpia ioca, uel urso, uel tornatricibus, ante se fieri, patiatur, nec laruas daemonum, quas uulgo,* (ut BVRCHARDVS addit,) *Talamascas dicunt, ante se ferri, consentiat, quia hoc diabolicum est, et a sacris canonibus probibitum.* Immo adeo horrent sacra iura laruarum insaniam, ut uelint, clericum assidentem conuiuiis, superueniente histrione, de mensa potius surgere, et abire, debere, quam eius motus ac gestus uidere, aut ipsum audire, ita *Concilium Toletanum III. in Canon. 2. Irreligiosa de consecrat. distinct. 3.* Cui textus, notatu dignus, iungendus ex *cap. 1. X. Ne Clerici uel Monachi*, ubi inter uitia seculi, et carnis concupiscentiam, refertur: *Turpis uerbi, uel facti, esse ioculatorem, uel iocum secularem diligere, aleas amare, ornamentum inconueniens proposito suo quaerere, in deliciis uiuere uelle etc. canes et aues sequi ad uenandum, et omnibus quibuslibet caussis superfluis interesse. Ecce talia,* dicitur ibidem, *et his similia ministris altaris domini, nec non et Monachis omnino contradicimus, de quibus ait Apostolus: Nemo militans DEO implicat se negotiis secularibus.* Quorsum etiam

 perti-

pertinet INNOCENTII III. Constitutio in *c. 15. X. de uita et honestate clericorum : Clerici mimis, ioculatoribus, et histrionibus, non intendant. Ad aleas et taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. Clausa deferant desuper indumenta, nimia breuitate, uel longitudine, non notanda. Pannis rubeis aut uiridibus, nec non manicis aut sotularibus consutitiis, fraenis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus, non utantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra Ecclesiam non gerant; sed nec alibi, qui sunt in sacerdotio et personatibus constituti, nisi iusta caussa timoris exegerit, habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri uel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem, in publico, et in ecclesia, superindumentis lineis omnes utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem. Palliis diffibulatis non utantur in publico, sed uel post collum, uel ante pectus, hinc inde connexis.* Quae omnia repetuntur cum in *Formula Reformationis*, per CAROLVM V. in Comitiis Augustanis 1548. Ordinibus Imperii sacris proposita *Cap. XVII. de disciplina cleri*, tum in *Concilio Tridentino*, *Sess. 22. c. 21.* Ex quibus omnibus satis abundeque apparet, utroque iure, tam Canonico, quam Ciuili, pariter ac Diuino, clericis, si non diserte, per bonam tamen satis consecutionem, usum mascherarum esse prohibitum. Quod si enim clericus omnem reprehensionis notam uitare atque sinistram suspicionem debet: quod si ludis, choreis, coenis, spectaculis abstinere: quod si, nisi uestitu decenti et ordini conuenienti, incedere non

non licitum: quis uellet dubitare, clericum excludi ab eiusmodi iocis lusibusque mascherarum? Immo, ne monstris laruarum in solemnitatibus clerici utantur, satis diserte prohibet Idem INNOCENTIVS III. in *c. 12. X. de Vita et honestate clericorum.* Atque inde recte concludunt ZABARELLA, in *Clement. 2. qu. 3. de uita et honestate cleric.* BARBOSA, ad *Canon. Nullus dist. 44.* clericis prorsus interdictas esse laruas, nec personatos illos incedere posse. Idemque sentiunt LAMBERTINVS, de *Iure pat. 2. 2. qu. 26. 5.* BELLETTVS, *Disquis. Cleric. p. 1. tit. de Disciplina Clericor. §. 23. n. 7.* et P. GABRIEL A S. VINCENT. *Consil. seu Respons. Moral. Resp. 76. n. 1.* Porro clericos, multoque magis regularem professos uitam, ioculatores atque in scenam, pretii quaestusue caussa, prodeuntes, itemque arti assuetos, infames habendos esse, secundum FRVCTVOSVM tradit PACICHELLIVS, de *Laruis, cap. 6. pag. 89.* Atque P. GABRIEL A S. VINCENT. *Consil. seu Respons. Var. Resp. 73. n. 3.* concludit, quod Episcopus ac Sacrorum antistes nullo modo licentiam dare ualeat laruis se tegendi, cum per se malum sit, et clericorum ac religiosorum statu indignum: item, quod religiosi, obambulantes personati, grauissime Deum offendant, et incidant in deuotionem, propterea, quod dimittant habitum, PACICHELLIVS, *d. l.*

§. XXI.

Quamuis autem leges adeo salutares suppetant, atque adeo ipsi religioni hac ratione nihil detrahatur,

tur, tamen omnis, qui in terris, Romanum Pontificem Ecclesiarum caput uenerantibus, Italia praesertim et Gallia, uersatus est, uel cum uenientibus ex regionibus istis collocutus, satis nouit, ista omnia ibidem parum curari, clericosque ad unum fere omnes nihil minus cogitare, quam ut regulas istas obseruent. Qua de re olim iam questus PHILIBERTVS BVGNYON, de *Legib. abrog. Lib. 2. Sect. 25.* et quis, ipsos Romanos Praesules interdum his deliciis non usos esse, sponderet? Sane de ALEXANDRO VI. qui una cum filiis, filiaque, turpissimos nudarum meretricum lusus auidissime uidit, nemo dubitabit. Sic, FARNESIVM, Patrem purpuratum, cum FERDINANDI Imperatoris legatos hilarius excipere uellet, laruatum incessisse, SALOMON GESNERVS, in *Oratione de Personis siue Laruis etc.* refert, quod non pudet eundem PACICHELLIVM, de *Laruis, cap. 5. pag. 64.* repetere, sufficere ratum, si modo post Martis uesperas Bacchanalibus, ne exemplo suo offendant alios, ualedicant purpurati, aliique aulici Romani. Quamuis uero non negandum sit, hodie Romanos Pontifices seueriorem prae se ferre disciplinam, cautiusque atque ita agere, ne uoluptates sequi probareque uideantur: Purpuratorum tamen, Episcoporum, aliorumque, uitam mascherarum deliciis distingui saepenumero, norunt omnes, qui Romanam aulam frequentarunt, nec dissimulat PACICHELLIVS, de *Laru. cap. 8. pag. 125. in fin.* Neque etiam desunt Doctores, qui hanc rem laudent, atque, dum intelligunt, IVSTINIANVM mascheras Episcopis et clericis denegasse

negasse in *l. 34. C. de Episc. audient.* ipsum grauissimi peccati reum agant. Eo dementiae abrepti sunt Summistae, praesertim Caietanvs, uerbo: *Laruae.* Vivaldvs, *cap. 13.* uid. Pacichellium, *cap. 7. pag. 99.* Consuetudinem hi probant, quae in Lombardia esse dicitur, qua tempore carnispriuii, quod dicunt, clerici incedere queunt personati. Cessare enim aiunt eo casu suspicionem, quod populus offendi exemplo possit, excipiunt tamen sacerdotes et constitutos in maioribus, Pacichellivs, *d. l. pag. 99.* Alii rem admodum extenuant, ad minuendum peccatum, si debitis cum circumstantiis clerici Bacchanaliorum tempore incedant mascherati, ut ita loquar, P. Vidalivs, in *Arca Theologiae Moralis, de Statu Ecclesi. Inquis. 1. n. 18.* quam ad unius horae spatium in puncto laruarum et ludi citra peccatum pro ipsis restringunt P. Vincent. Candido, *Tom. 2. Disp. Moral. 26. 13. 13.* Narbona, in *Horograph. Iuris, hor. 1. n. 76.* aliter tamen sentientes de regularibus, quibus sub censuris laruarum usus interdicitur *cap. 2. Ne clerici uel monachi in 6to.* Immo, monialibus mascheras quoque indulgendas esse, ablatis uirorum uestibus et armis, sed intra tamen septa monasterii, censuit *Sacra Congregatio V. Calend. Maii anno 1604.* quod Ricciullvs *d. l.* refert *Lib. 6. c. 4.* Quin et, constitutione Romana, religiosis regularibus tantummodo mascherarum usus est interdictus. Ex quo id concludere possumus, reliquis eum clericis esse permissum, arg. *l. 12. π. de Iudic.* aut, si fortasse, correctionem iuris communis non coniiciendam esse te-

 mere,

mere, aut tali argumentatione eliciendam, dixeris; non adeo multum ſaltem curari Romae, utrum alii clerici maſcherati incedant, an minus. Reperiuntur uero inter illos ipſos, quibus ſaniora placent. Ex quibus ICtum, pietate ſingulari celebrem, CASPAREM MANZIVM in primis laudo, qui in *Deciſ. Palatin. quaeſt. 50. n. 42. Indigne*, inquit, *aliquando tuli, quando ſpectatorem harum ineptiarum uidi ſacerdotem, ridentem et dicentem: plane iſti ſe ita gerunt, uti uulgo pinguntur. Melius dixiſſet: ita inſaniunt et uitulantur, ut a diabolo inſtigantur, etiam propria malitia animantur, ut a Sanctis patribus reprehenduntur, ut a probis et prudentibus deſpiciuntur, ut a Deo ſeuere quondam iudicabuntur.*

§. XXII.

Inter Proteſtantes rarior eſt maſcherarum uſus. Quod ſi tamen in aulis Euangelicorum Principum haec gaudia admittantur, haud facile noſtris clericis et uerbi diuini miniſtris iure dedecus hoc poterit obiici, quod perſonati incedant, uel inter laruatos deprehendantur. Optime enim intelligunt, quid deceat uenerandum hunc ordinem, quantumque ſuo quiſque exemplo proficiat uel noceat, atque quam plurima eſſe, quae, quamuis nec laudem, nec reprehenſionem, mereantur, non tamen expediant, ſi uerbi diuini praecones illis utantur. Quod uel maxime uſu uenit, ſi talia ſint, ex quibus malum, uel mali ſaltem ſuſpicio, uel deterior hominum uita, oriri poteſt. Qualia haec eſſe mundi gaudia, nemo facile

ſe negabit. A quibus, ſatius eſt, auocari auditores, quam, auide illa ſectando, iiſdem exemplo ſuo praeire, licet interdictum, quod clericos ſpectet, extaret nullum. Quod ſi tamen et inter Euangelicos ſacerdotes deprehenderetur ſui adeo oblitus, ut minime dubitaret uanis his ſeſe immiſcere, nae is dignus eſſet, qui deiiceretur gradu, ac a ſacris Eccleſiae miniſteriis repelleretur.

§. XXIII.

Cum clericis affinitatem quandam habent Profeſſores, et alii Doctores in Academiis promoti, ita, ut a nonnullis quaſi clericorum ordini adſcribantur. CONRINGIVS, *Antiq. Acad. Supplem. 67. pag. 364.* in cuius rei ueritatem inquirit ITTERVS, de *Grad. Academ. cap. 5. th. 7.* Etſi uero non deſint huic ſententiae argumenta, ac Profeſſores uel Doctores multis clericorum priuilegiis fruantur, atque, exemplo clericorum, a Principe non tuizentur, ut loquuntur, ſed uoſſitentur, tituloque *dominorum* ornentur: etſi etiam, corpora Academica Praelatis ſiue ordinibus ſacris accenſeri, uideamus, attamen, accurate loquendo, omnes ac ſingulos Profeſſores et Doctores clericos, h. e. diuinis miniſteriis mancipatos, eſſe, affirmari nequit, ITTERVS, *d. l.* DN. AB EYBEN, *Elect. Iur. Feud. cap. 9. §. 13.* Atque adeo iura illa prohibentia, quae de clericis agunt, ac ſupra ſunt recenſita, ad eoſdem nequeunt applicari. Interim non improbanda ſunt, quae de illis PACICHELLIVS, *cap. 7. pag. 100.* de *Laruis*, ſcribit: *Doctores ac Praelatos modeſte ac temperanter in Aula Ferrarienſi laruis uſos, teſtatur*

tur Torqvatvs Tassvs, *in Dialogo, inscripto il Gianluca, imitationem uirorum fama praestantium commendans, uulgato satis* Platonis *exemplo.* Itaque licet nulla lex arceat: satius tamen est, eiusmodi homines, qui grauitate iuuentuti exemplo esse debent, in scholis praesertim, his rebus abstinere. Quod si uero Doctores illi clerici, accurate sic dicti, simul sint, nullum dubium, eos ab his gaudiis arceri.

§. XXIV.

Doctoribus studiosos et discipulos iungimus, qui eadem ratione ad clericos referri solent, ac isti. His quidem, si in tali loco degant, ubi festi Bacchanaliorum dies celebrantur, uel alias mascheras induere suetum est, et nulla lex eos speciatim arceat, non denegatum, existimo, studia his interpellare rebus, et animum recreare iuuenilem. At, ubi eiusmodi solemnia recepta non sunt, in Academiis praesertim, haud permittendum ipsis est, ut laruas et personas induant, ob abusum et incommoda, quae ex his rebus, illis praesertim in locis, ubi desunt media coercendi temeritatem iuuenilem, nasci possunt. In Patauina Academia nimium indulgeri studiosis hac in parte libertatis, Itali ipsi conqueruntur, Riccobonvs, de *Gymnasio Patauino, lib. 6. cap. 13.* cum Borello, de *Magistrat. l. 3. c. 9. et seqq.* Pacichellivs, de *Laruis, cap. 3. pag. 47.* In nostris Academiis hac de re sequens lex est: *Bacchanalia et personatas pompas in paganorum morem celebrare, sub relegationis poena uetitum esto.*

XXV.

§. XXV.

Inter laicos caput extollens Imperator, Reges, aliique Principes et Magiſtratus, qui uel ſummam in republica poteſtatem, uel ſubalternam, exercent, et uariis honorum gradibus diſtinguuntur. Hos uero, ſi PETRVM GREGORIVM THOLOSANVM, *Syntagm. Iur. Vniuerſ. lib. 39. cap. XI. n. 5.* audias, a maſcherarum uſu plane alienos eſſe debere, concludendum foret. Ita enim ſcribit *dict. loc. Vocant Galli noſtri perſonas has* maſcas *et* momos, *quae nomina uſque adeo horrida ſunt et pernicioſa, ut mirer, cur illi, qui ſe inter alios alicuius eſſe pretii, honoris et dignitatis, iactitant et arbitrantur, uelint has induere.* Sane decet principes uiros, et qui aliis praeſunt, circa res magnas uerſari ac egregias, quae inſignem prae ſe ferunt uirtutem, non res ludicras, inanes aut tales, quae uiliſſimis hominibus propriae. Ita enim non ſolum auctoritatem ſeruabunt ſibi illaeſam, uerum etiam ſuo ſolum exemplo plus efficient, quam multis legibus. Quales enim in republica Principes ſunt, tales et reliqui homines eſſe ſolent, ita, ut, ſi Principes boni ſint, ciues etiam hos mores aemulentur; ſin mali, meliora ſperari de ſubditis haud poſſint. Elegans eſt locus apud CICERONEM, *lib. 3. de Legibus. Ego autem, nobilium uita uictuque mutato, mores mutari ciuitatum, puto. Quo pernicioſius de republica merentur uitioſi principes, quod non ſolum uitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in ciuitatem. Neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, pluſque exemplo, quam peccato, nocent.* Et

paulo ante: *Nec enim tantum mali est, peccare principes, (quanquam est magnum hoc per se ipsum malum,) quantum illud, quod permulti imitatores Principum existunt. Nam licet uidere, si uelis replicare memoriam temporum, qualescunque summi ciuitatis uiri fuerunt, talem ciuitatem fuisse, quaecunque mutatio morum in Principibus exstiterit, eandem in populo secuturam:* Et iterum: *Vt enim cupiditatibus Principum et uitiis infici solet tota ciuitas, sic emendari et corrigi continentia.* Et sane:

Regis ad exemplum, totus componitur orbis, CLAVDIANVS, *quarto consul. honor. uers. 299.* De quo argumento multa egregia congessit apud LIPSIVM, *Polit. Lib. 2. c. 9.* DN. REINHARDVS. Ex quibus omnibus facile uideas, praeclare optimeque bonos agere Principes ac summos uiros, si, nulla licet lege cogantur, sponte abstineant ab his deliciis, eoque ipso reliquos, quibus praesunt, ab illis abstrahant, atque adeo uarios abusus, uariaque mala, quae his ex rebus sequi solent, exemplo suo impediant ac praeuertant. Puduit praeclaros sane uiros, NERONIS aeui spectaculis seruire, ideoque personati accesserunt. Sed iubebat Caesar deponere personas, et sic, inter histrionum apparatus, illos detegebat hominibus, apud quos ipsi paulo ante gesserant Magistratum, omniumque ludibrio exponebat. XIPHILINVS, *Epitom. Dionis in Nerone.* Propterea tamen, quod Principes non semper in rebus magnis uersari possunt, sed opus est animi quadam remissione, qua summas pro republica curas temperent, atque alacriores postea ad

ad res arduas perficiendas accedant; non inuidendum iis est, si, animi curandi caussa, his interdum ludis uacent cum aliis ipsi. Quod et maximos optimosque nonnunquam fecisse Principes, atque ex rebus leuibus aliis quaesiuisse delectationem, notum est, atque *exemplo* AVGVSTI apud SVETONIVM *cap.* 83. comprobatur. Pari modo de FRIDERICO II. Daniae Rege, memoriae proditum est, eum, si quando cum purpuratis indulgere genio paulo liberius uoluerit, ueluti deposita Regis persona, *Agite*, dixisse, *ludamus amici, ineptiaque animum paulisper remittamus, dum Rex abest:* atque ita cum iis lusisse, mox ubi satis lusum ei uisum sit, tanquam assumta rursus Regis persona, uultu ad grauitatem composito, iussisse ludo desisti, quod Rex rediisset, citante praeter alios RVPERTO, ad *Valer. Max. pag.* 490. Quod dum faciunt boni Principes, omnesque illustres uiri, ipsi intelligunt, his deliciis ita esse utendum, ut intra limites honestae remissionis consistant, neque id faciant, quod inhonestum esse et turpe, lex Dei et recta ratio docet, uel quod ab ipsis aliis est interdictum. Neque uero in has oblectationes nimium temporis impendant ac sumptuum, adeoque efficiant, ut res publica uel misellus populus hac ex re incommoda sentiat et detrimenta. Quod si fieret, nemo dubitabit, tum grauissime peccari ab ipsis Principibus, tum alios in peccata rapi, quae delirantium peccata saepissime postea, iusto Dei iudicio, nocentes pariter ac innocentes premunt, adeo, ut utrique grauissime poenam luant, uid. FRITSCHIVS, in *Principe peccante.* Prae-

dicandi contra isti sunt Principes, qui parce, uel plane non, his rebus utantur, qua parte aula Imperatoriae Maiestatis, Diui LEOPOLDI ab exteris laudari solebat, in qua usus mascherarum non adeo frequens fuisse dicitur, PACICHELLIVS, de *Laruis*, *cap. 6. pag. 87*. Quod laudatissimum Magni Parentis exemplum Imperator Augustissimus, CAROLVS SEXTVS imitatur, atque in hac quoque parte eius disciplinae documenta prodit, cum harum uoluptatum parcissimus est, et tempus pariter atque impensas grauioribus domi forisque rebus impendit. In Germania, et Belgii utriusque prouinciis, nisi Bruxellis, et Coloniae Agrippinae apud Episcopum Argentinensem, Furstenbergium, Franciscum Egonem, laruatos se non uidisse lusus, testatur IDEM PACICHELLIVS, *d. l. cap. 6. ead. pag.* Sed in alias tamen quoque aulas eum morem penetrasse, nemo ignorat. Raro aulam Parmensem in Italia admittere IDEM assentitur, *d. l. pag. 88*.

§. XXVI.

Reliquis uero minorum gentium hominibus, ignobilibus quoque, mercatoribus, opificibus, etc. laruas gestare, lege quadam generatim interdictum esse, non nouimus, atque adeo uti illis licebit, quousque nulla prohibitae lege, ac certo hominum generi permissae, inueniantur. Immo nec de plebe quidem homines ab his gaudiis, si in aulis Principum celebrantur, repelli, experientia satis testatur, si modo modeste se gerant, nec libertate hacce abutantur.

Nam-

Namque ex hac re, ut iam supra dictum, capitur uoluptas, si magna imis ad breue tempus misceantur, ac subditi domino, ignobiles nobilibus, pauperes diuitibus, quadam tantisper iuris parte, non concedant. Immo ab his nec Iudaeos repelli, concluderem, modo cetera paria sint, illos praesertim, qui diuites sunt, atque cum decore personas induere possunt. Interim satius utique esset, inferioris homines conditionis ab eiusmodi rebus plane abstinere, BALDVINVS, *Cas. Consc. lib. 4. cap. 1. pag. 638.* Neque enim decet eos omnia imitari, in aulis quae fiunt, ac Principibus, animi leniendi caussa, conceduntur, praesertim illis in locis, aula ubi non est. uid. DIETHERRVM, in *Continuat. Spec. Speidelian.* uerbo: *Mascarada.* Atque ideo, cum Annaebergenses in Misnia aliquando Bacchanalibus laruati indulgerent, seuere id a Principe interdictum, quod legi potest apud CARPZOVIVM, *Iurisprudent. Eccles. Lib. 2. Def. 264. n. 26.*

§. XXVII.

Quibus peractis, in iure personarum, matrimonii res se sistunt, quarum respectu uariae circa usum mascherarum quaestiones nasci possunt. Ac primo quidem quaeri hic potest: Num a personatis hominibus sponsalia celebrari possint? Qua quidem in re praestruendum est, sponsalia, nisi consensu partium, non constare, *l. 4. π. de Spons. l. 30. π. de R. I. cap. 26. X. de Spons.* atque adeo personas, nisi sibi cognitas, si facie minus, alia tamen certe ratione, sponsalia celebrare non posse. Qui enim consentiant de perpetua futura cohabita-

habitatione, qui ignoti sibi inuicem sunt? Quod si itaque duae personae, non tantum corpore, sed etiam uultu, uel hoc saltem utriusque laruato, sponsalia celebrent, facile iudicare licet, nihil esse actum, cum neutra alteram nouerit, ac intellexerit, cuius sit conditionis. Ac, licet tales laruatae personae uerbis consensum declarent, atque sic dici possit, sibi adscribi debere, quod in conditionem alterius non diligentius inquisiuerint, cum quilibet, qui cum alio contrahit, gnarus debeat esse conditionis illius, quo cum contrahit. *l. 19. π. de R. I.* facile tamen responderi poterit, minime praesumendum esse, inter iocos seria, et talia fuisse acta, quae maximam deliberationem exigunt, a quibus pendet omnis uitae felicitas, atque tam absurdum quenquam fuisse, ut sibi ignotum hominem coniugem eligere uoluerit, sed inter iocos, qui consensum non inferunt, iocose actum esse uideri. Vnde etiam DD. communiter concludunt, sponsalia iocose contracta, non ligare. CARPZOVIVS, *Lib. II. Iurisprudent. Eccles. Def. 19.*

§. XXVIII.

Quod si tamen supponamus, personatos illos homines sibi fuisse notos, uel aperuisse uultum, ita, ut una ab altera dignosci potuerit, testes insuper adfuisse, nec clam actum, ceteraque paria sint, ac recte se habeant; eiusmodi sponsalia pro ualidis habenda esse, non dubitarim. Neque tamen nego, iudicis arbitrium hic uim suam exercere, satiusque longe

ge et magis pium esse, si haec primordia matrimonii, sanctissimae rei, in aliud tempus differantur, quod magis commodum, atque cum Deo et precibus auspicia illius fiant, non inter iocos ac ludos. Immo, parum pium esse, arbitror, si personati per iocum sponsalia tractent, atque honestissimam rem et sanctissimam ludibrio exponant. CARPZOVIUS, *Iurisprudent. Eccles. cit. Lib. II. Def. 19. n. 9.*

§. XXIX.

Quod ad ipsum matrimonium attinet, notum est, apud Christianos plerosque hodie receptum esse, ut εὐλογία coram Ecclesiae facie, et quidem ordine praescripto, in sacris aedibus accedat, atque ante, quam id factum, cohabitatio uiri et uxoris, non pro matrimonio, sed pro contubernio uel concubinatu, habeatur, qua de re multa apud Theologos ac Iuris peritos passim legi possunt. CYPRAEUS de *Connubior. Iure, Part. I. cap. V. §. 6.* et *cap. XI. §. 15. et 20.* CARPZOVIUS, *Iurispr. Eccles. Lib. II. Def. 142. n. 9.* CHEMNITIUS, in *Exam. Concil. Trident. Sess. 24. cap. 1.* Nostrae disquisitionis tantum hoc est, an sub mascheris εὐλογία rite fieri, atque ita personati sibi inuicem iungi possint? quod omnino et prorsus negandum est. Namque uti nec sponsalia, ita nec ipsum matrimonium, ab incognitis sibi personis iniri potest, propterea, quod sic consensus deficiat. Deinde, licet de consensu satis constet, haud tamen est licitum ad aedes sacras, uel ubi tandem cunque homines,

tan-

tanquam credentium coetus, et in nomine Iesu Christi, congregantur, laruas et personas admitti. Atque adeo, cum nec ad Ecclesiam tales laruae sint admittendae, nec ea de caussa, εὐλογία poterit impertiri, immo, si, diuino humanoque iure neglecto, tale quid fiat, nemo, credo, dubitabit, nullam plane esse eiusmodi actionem. *l. 5. C. de LL.*

§. XXX.

Neque uero iocum hic adducere licebit, cum facultatem iocandi ministerii sacri actiones minime admittant, et seuera potius poena eiusmodi ioci uindicandi ueniant. Venit in mentem improbum factum, quod in uicini pagi caupona ante aliquot annos contigit, quam homines quidem perditissimi una cum meretricula ingressi erant. Vnus ex his sacerdotis personam sumebat, atque alterum cum meretricula, more sacro, tanquam coniuge iungebat, qui et, commessationibus peractis, ut ne quid flagitio deesset, corpus postea per noctem hac cum nupta miscebat. Equidem, commissa hac nequitia, deperditi homines fuga saluti suae consuluerunt; caupo tamen et ipsius uxor, qui malitiam hanc hospitio promouerant, ex merito plectebantur. Ceterum, in quibusdam locis solemnem matrimonii professionem, praesente magistratu, in curia fieri, constat, qua facta, ad aedes sacras precum caussa adeunt. Quod in Belgio fieri, nemo ignorat. Hahnius, ad Wesenbecium, *Tit. de R. N. n. 5.* uerbis: *Benedicente*

(ii3) *nuben-*

nubentibus etc. pag. 213. ubi itaque hic mos receptus eſt, nec profeſſio talis a perſonatis fieri poteſt, qui repellendi a curia potius ſunt, quam ad illam, atque rem ſeriam adminiſtrandam, iocoſo, ſub hoc ſchemate admittendi.

§. XXXI.

At iam faciamus, tempore, quo maſcherae in uſu ſunt, uel alio, uiliſſimae hominem conditionis induiſſe perſonam Nobilis, uel alterius in quadam dignitate conſtituti: aperto uultu ſub ueſtibus illis geſſiſſe ſe pro Nobili, uel alterius dignitatis homine: ambiuiſſe nobilis uel alterius honeſtae uirginis nuptias: uirginem aſſenſiſſe, exiſtimantem, illum, quem ſe tum dixerit ac geſſerit, futurum. Comperta uero fraude, an uinculo quodam puella teneatur, dubium. Equidem, negandum illud eſſe, exiſtimarem, atque nulla eſſe ſponſalia, affirmarem. Quoniam enim intellectus, tanquam fons conſenſus, minus recte fuit informatus, quin potius deceptus, ideo, hanc in rem puellam conſenſiſſe, non eſt cenſendum, quae conditionem nequaquam accepiſſet, ſi, dolo cognito, illum talem non eſſe, quem ſe geſſerit, certior fuiſſet. PUFENDORFIUS, de *Iur. Nat. et Gent. lib. 3. cap. 6. §. 8.* Quod ſi in bonae fidei contractibus doli etiam ratio ita habenda, ut, ſi cauſſam dederit contractui, pro nullo ſit habendus, *l. 7. π. de dolo. l. 16. §. 1. π. de minor. l. 6. C. de praeſcript. long. temp.* quidni idem diceremus de ſancto deſponſationis ne-

gotio, quod ob grauitatem ſuam quam maximam, bonam fidem requirit. Cypraevs, de *Connubior. Iure cap. 13. §. 58.* B. Dn. Stryk, de *Diſſenſu ſponſalitio, Sect. 2. §. 9.* Quae omnia adeo uera exiſtimamus eſſe, ut, licet iusiurandum acceſſerit his ſponſalibus, tum iure Ciuili, arg. *l. ult. C. de non num. pecun.* tum etiam Canonico, propter *capitulum, Cum contingat 28. X. de iureiur.* quo Pontifex diſerte iusiurandum, ſeruandum alioquin, ſtringere negat, ſi dolus interueniat, ualidiora reddantur. Frantzkivs, *lib. 2. reſolut. 4. qu. 4.* Neque uero obiici hic poterit, dignitatem ciuilem ad naturam matrimonii non pertinere. Sufficit enim dolo eſſe deceptam, atque, quod conſenſura ſponſa non fuiſſet, ſi, falſam, ſciuiſſet, ſponſum induiſſe perſonam, Nicolai, de *Repud. cap. 2. n. 94.* Nec male Gerhardvs dicit: *Dolum iſtum concernere ſubſtantialia matrimonii, Loc. Theolog. cap. de Coniugio, n. 116. qui conſenſui reſiſtit, cum conſenſus maxime matrimonium faciat,* Sanchez, de *Matrimonio, lib. 7. Diſp. 18.*

§. XXXII.

De matrimonio conſummato, tali caſu, maior dubitatio eſſe poteſt. Neque enim temere Pontificii diſſolutionem coniugum admittunt, matrimonio coram Eccleſia per εὐλογίαν et cohabitationem conſummato, propter inueteratam, apud Proteſtantes uero exploſam, opinionem, matrimonium eſſe ſacramentum, Covarrvvias, de *Matrim. P. 2. cap. 3. §. 7. n. 4.* Molina, de *Iuſt. et Iur. tr. 2. Diſp. 259. n. 8. et 352. n. 5.* Rectius

ctius tamen ſentiunt illi, qui et hic, minus legitime matrimonium initum eſſe, agnoſcunt, CYPRAEVS, de *Connubior. Iure, cap. 13. §. 58.* qui enim per dolum ſe feminae iunxit, non Deo auctore, ſed malo genio, mendaciorum patre, id perpetrauit, decepitque eccleſiam atque ſponſam. Nec ſane ex tali fraude commodum percipere debet. Quae ſententia uariis rerum iudicatarum inter Euangelicos monumentis comprobatur, RICHTERVS, *Deciſ. 88. n. 25. et 30.* CARPZOVIVS, *Iuriſprud. Eccleſ. Lib. 2. Def. 204. n. 12.* B. DN. STRYK, de *Diſſenſ. Sponſ. Sect. 2. §. 13. et Sect. 5. §. 49. ſeqq.* ubi inſigne exemplum, in quo eiuſmodi matrimonium pro nullo reputatum fuerit, quod inter callidiſſimum nequam, et uirginem nobilem, propter apparitiones, quas prae ſe ferebat, notiſſimam, et inter ſectae ſuae homines, pro Diua habitam, H. L. V. D. H. contractum refert.

§. XXXIII.

Affinis quaeſtio eſt, de errore, qui conſenſum etiam excludere dicitur, *l. 15. π. de iuriſdict. l. 57. π. de O. et A. l. 51. π. de pact.* Fac itaque, eiuſmodi hominem, ueſtibus, ſtatum atque conditionem ſuam ſuperantibus, ſolicitare nuptias puellae: nihil plane de ſua conditione edixiſſe: Puellam adeo fuiſſe ſtolidam, ut, uel diuitem, uel in honore conſtitutum, crederet: comperire uero poſtea, mirum in modum ſe eſſe deceptam. Sane errauit quidem hic femina, ſed errauit tantum in circumſtantiis, et, quod decepta eſt, ſuae debet temeritati acceptum ferre. Dum uero

ro in personam consensit, actio illa, modo dolus absit, pro nulla haberi nequit, arg. *l. 51. π. de pact. l. 57. π. de O. et A. l. 9. π. de contrab. empt. uend. l. 21. §. 2. π. de act. empt. et uend. Canon. un. causs. 29. qu. 1.* Cum uero dolus dolosaeque persuasiones non uerbis modo, sed factis quoque, ac rebus, committi fierique possint; studiose inquirendum, num dolo malo personam istam induerit homo, ut, licet non uerbis, reapse tamen, simplicem deciperet puellam. Quod sane si factum sit, non debet fraudis suae fructum sentire, *l. pen. C. de legat. cap. 2. Ex literis X. de dolo et contumac.* Neque hic, nimis credulam fuisse sponsam, poterit obiici, quando sponsi calliditas longe est deterior, cui neutiquam indulgendum. Conf. B. DN. STRYK, de *Dissens. Sponsf. Sect. 2.* Immo, si maxime de dolo malo non adeo constet, nec nulla sponsalia dicenda: aequitas tamen postulare potest, ut ab eiusmodi sponsalibus recedatur, IDEM, *d. l. Sect. 2. th. 30.* e. c. si puella talis sit conditionis, ut, nisi nobili, nuptura non fuisset. IDEM, *d. l.*

§. XXXIV.

Quod si in persona ipsa, propter fictitium habitum, error aliquis fuit commissus, consensum sponsalitium et matrimonialem plane impediri, nemo dubitabit, *c. un. c. 29. qu. 1. l. 9. pr. π. de contrab. empt.* Si e. g. forte ille, qui sponsus debet esse, deprehendat aliam, sponsae suae uestibus indutam, atque illi matrimonium promittat, cum eaque congrediatur, uel

spon-

ſponſa in eiuſmodi errorem incidat; nec ſponſalia, nec matrimonium, rata ſunt habenda, ob errorem in perſona commiſſum, qui, ut dictum, conſenſum excludit. In huiuſmodi errorem incidit Iacobus, cui a Labano Rahelis loco Lea fuit adducta, quod coniugium, niſi Iacobus ratum habuiſſet, nullum fuiſſe, omnes fatentur, per *cit. Canon. un. cap. 29. qu. 1.* LAYMANNVS, *Theolog. Moral. Tom. 2. lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 2. n. 1.* Non quidem ob dolum, qui fortaſſe in Lea fuit nullus, quippe quae imperio patris obſequens exiſtimauit, a patre ſe deſponſatam eſſe Iacobo, adeoque iure in lectum duci. Quid? quod patris, tanquam tertii, dolus, cuius ipſa non fuit particeps, fraudi eſſe non potuit, B. DN. STRYK, *d. l. Sect. 2. §. 16. et Sect. 5. §. 58.* Sed, uti dictum fuit, ob amorem Iacobi, qui cum Lea nequicquam deſponſatus, exiſtimabat, Raheli ſuae ſe cohabitare. Ceterum, ſi dolus perſonatae huiuſmodi perſonae ipſius accedat, nemo dubitabit, ea propter eiuſmodi actiones nullius momenti eſſe ac ponderis, quin immo, quae grauiſſima uindicentur poena, mereri.

§. XXXV.

Inito matrimonio, inter coniuges circa maſcheras quoque poſſunt quaeſtiones ſuboriri. Competit nimirum marito, ſi non iure naturae, atque extra caſum, quo ſponte ſua femina ſe ſubiicit, certe iure Diuino, itemque Canonico, Ciuili ac Saxonico, poteſtas ac imperium in uxorem, uti uxor contra marito

rito debet animi demiſſionem, obſequium ac reuerentiam, *Geneſ. III. 16. Epheſ. V. 22. 1. Cor. XI. 3. Canon. 15. c. 33. qu. 5.* uid. ARNISAEVS, de *Iure Connubiorum, cap. VII. Sect. 1. ſeqq. l. 4. C. de Crim. expilat. haered. l. 14. §. 1. π. ſolut. matrim. l. un. §. 7. C. de rei ux. act.* Qua ex re id ſequitur, uxorem, prohibente ac nolente, immo et ignorante, marito, maſcheras induere, et laruatorum coetus frequentare non poſſe. Id quod etiam ſatis aperte probatur ex *l. 8. §. 3. C. de repud. et Nou. 117. c. 8.* ibi: *Si circenſibus, aut theatris, aut amphitheatris interfuerit ad ſpectandum, ignorante, aut probibente, uiro.* Cum enim uxoris actiones pendeant a uoluntate mariti, tanquam familiae capite; huius potiſſimum intereſt, uxorem domi ſe continere; nec frequenter obambulare, aut uirorum coetibus intereſſe. Hoc enim modo et res familiaris optime adminiſtrabitur, et mariti animus multis uacabit ſuſpicionibus. Ex quo ſequitur, uxorem haec et ſimilia, inſcio, uel prohibente marito, facere non poſſe, praeſertim autem laruatam minime foris pernoctare debere, *d. l. 8. C. de repud.* Quin immo prudentis mariti eſt, operam dare, ut uxorem ab huiuſmodi rerum uanitate, ludiſque ac ſpectaculis abſtrahat, adimatque occaſionem peccandi. Quam in rem multa legi poſſunt apud GVEVARAM, in *Horolog. Princip. Lib. II. cap. 9. 10. ſeq.* ubi *cap. 8.* haec habet. *Quod uxores mariti ſuas amant, oblectant, in deliciis habent, earumque fidei plurimum credunt, laudo atque approbo. At quod refragari uxoribus, per alienas oberrantibus domos, mariti uel non audent, uel non uolunt, id uero uitupe-*

ro

ro et damno. Nam utut per se bonae fortassis sint, tamen ut uanae habeantur, ansam praebent. Quod si mulier contra officia peccet, et, monita licet, a proposito omnino non desistat, nullum est dubium, quin castigari a marito possit, quatenus alias eiusmodi emendatio concessa est marito, *l. 3. §. 3. π. de SCto Silan. l. 14. §. 1. l. 24. §. 5. π. Solut. matrim. Nou. 117. cap. 14.* CARPZOVIVS, in *Prax. Crimin. qu. 12. n. 50.* HAHNIVS, ad WESENBECIVM, *tit. de Nupt. n. 6.* B. DN. STRYK, *Diss. de Alapa, cap. 2. num. 6.* Conf. DN. PARENTIS *Oeconom. Iur. pag. 89. seq.*

§. XXXVI.

Immo, secundum Iustinianeum ius, tantam uxoris temeritatem sufficientem diuortio caussam praebere, ex *d. l. 8. C. de repud. et Nou. 117.* satis intelligitur. Equidem, hoc, aetate nostra, paulo aliter se habere, non nego. Respuit enim hodiernus usus, hac parte Iudaeos imitans, Iustinianeum ius, quod paulo facilius, ac par est, in concedendis diuortiis sese exhibet; sed potius ad doctrinam, quae in sacro continetur codice, dirigitur. Quod si tamen, ad mascherarum usum, inuito marito, uel prohibente, qui fit, aliud quid accedat, ex quo ualida commissi adulterii suspicio nascatur, matrimonii uinculum disrumpi ideo, usus, ac Protestantibus hactenus receptus mos, docet. uid. B. DN. STRYK, de *Dissensu Sponsalit. Sect. 5. §. 3.* Quem tamen, non nego, dubiis expositum esse. Nam *cap. 10. et 12. X. de praesumpt.* quod in partes uocant, procul dubio de

de diuortio, quod matrimonii uinculum soluat, intelligi nequit, cum licentiam det, mortua demum uxore, aliam ducendi, et ius Canonicum diuortium tantum a thoro et mensa admittat, LANCELOTTUS, *lib. 2. tit. 16. §. 8. seqq. ibique* B. DN. ZIEGLERUS, Immo uix credibile est, Christum de suspecta adulterii femina locutum esse. Interim tamen, si sponsus experiatur, sponsam nimis libere his rebus operam dare, facilius repudio, quam diuortio, locum fieri posse, non reclamarim. Quod si fortasse uxor corrumpatur ab aliis, ut, inuito marito, laruas induat, et laruatos coetus frequentet, utilis actio serui corrupti marito accommodari potest, arg. *l. 14. de seru. corrupt.* quae actio etiam locum habebit, si tantummodo quis hac parte tentauerit uxorem, arg. *l. 20. C. de furtis et seru. corrupt.* uid. OLDENDORPIUS, *Classe VII. act. 2.*

§. XXXVII.

Ad officium mariti equidem pertinet, ut sumtibus necessariis pro dignitate atque facultatibus uxorem instruat, *l. 28. π. de religios. l. 1. §. 19. π. de uentre in poss. mitt.* SURDUS, de *Aliment. tit. 1. qu. 32. seq.* Quaeri itaque potest: Num sumtus ad mascherarum usum petere possit ab inuito marito uxor? Quod quidem utique ex antea dictis est negandum. Quod si tamen maritus, illam personatis interesse, uelit, uel fortasse uxor in aulicis uersetur ministeriis, et ex uoluntate dominae illam

laruis

laruis indui oporteat, aliud erit utique dicendum. Quando enim maritus uel ipſe uult, ut interſit hiſce rebus, uel in aula uerſatur, conſentiente marito; non poterit ipſi diſplicere, ſi hanc in rem ſumtus erogandi ſint, uel alia, quae minus ad palatum ſint, inſequantur.

§. XXXVIII.

Sed poſſunt tamen et hac ratione uxores quid exigere a maritis. Namque licet imperium nullum ſit uxori in maritum: poterit tamen et ipſa interim a marito poſtulare, quod aduerſetur mutuo coniugum amori. Non iniuſta itaque erit eius poſtulatio, ſi uelit, marito non nimis frequentem eſſe maſcherarum uſum, maxime, ſi cum ſuſpectis uerſetur feminis, multoque magis, ſi cum impudicis. Sane, Iuſtinianeo iure, ubi maritus, uxore praeſente, cum impudicis mulieribus, quod maxime caſtas etiam excitat, coetum ineat, aut alia cum muliere frequenter uerſetur, uxorem a marito diuertere iure potuiſſe, ex *l. 8. C. de repud. et Nou. 117.* notum eſt. Etſi autem, hocce diuortio cauſſam dare, hodie non dixerim: non iniqua tamen poſtulatio eſt uxoris, ut maritus ab his rebus animo ſuo temperet. Eodem iure nititur, ſi mulier contradicat marito, qui inuitam illam perſona induere, et ad ſub maſchera laetantium

 coetum

coetum adducere uelit. Contra ea, si maritus frequenter his rebus indulgeat, non potest etiam hos adeo mores improbare in uxore, cui eos colendi auctor est. Per enim iniquum est, uirum ab uxore id exigere, quod ipse non praestet, *l. 13. §. 5. π. ad l. Iul. de adult. can. 2. causs. 32. qu. 6.* Antequam uero abeamus ab hoc de matrimonio argumento, illud tantum addendum, in nuptiarum solemnibus, animi caussa, saepissime laruas et personas indui, quod, ubi nullum interdictum extat, tolerari potest, modo abusus absit, neque mala inde exempla oriantur, uid. PACICHELLIVM, de *Laruis, cap. 7. pag. 97.*

§. XXXIX.

Tractatum nuptiarum sequitur adoptio, qua patria potestas ac munus pariter, ac per iustas nuptias, administrari potest. Cuius occasione quaeri potest: an arrogatio, uel adoptio, speciatim sic dicta, a personatis fieri possit? Sane cum utraque, ex *tit. I. π. et C. de adopt.* auctoritate publica fieri debeat, atque plane indecens sit, adire Principem uel magistratum sub mascheris et laruis, pariter id negandum esse, existimo, ac supra dictum *§. XVII. de Manumissione*, quae omnia, cum hic, tum ad *Quaestionem de Emancipatione*, poterunt applicari.

§. XL.

§. XL.

Ex argumento tutelae parum forte, credideris, ad operam nostram trahi posse. Sed tamen nec hic sterilitate laboramus. Quaestio moueri posset: Num praetor personatus, tutorem dare possit, anue laruatus tutor constitui. Quod quidem omnino negandum uidetur, propterea, quod, si maxime de personis constet, haud tamen deceat, illa, quae iure magistratus geruntur, sub laruis fieri, prout supra fuit dictum. Eodem modo, quod prius dici debuisset, facile inter omnes constabit, non posse ita tutorem dari: *Ille liberis meis tutor esto, qui primus in carnispriuio personatus apparebit.* Etsi enim ignotus quoque a patre dari potest tutor, ut Diui Fratres rescripserunt, *l. 15. §. 14. π. de excusat. §. 10. I. de excusat. tutor. uel curat.* omnes tamen consentiunt, hoc tantum de ignoto facie intelligendum esse, non uero de illo, cuius mores ignoramus. Mores sane illius, qui datur, perspecti utique esse debent, si, probatos illos fuisse patri, dixeris, cum certo iudicio quis debeat, per suam tutelam, posteritati suae cauere, *§. 27. I. de legat.* Quomodo autem, quaeso, tali casu id fieri possit? atque sic tota illa actio inanis erit, *l. 20. π. de testament. tutel. d. §. 27. I. de legat.* uid. HOPPIUS, *Differt. de iure ignotor. c. 2. m. 8.*

§. XLI.

Ipſa tutela eſt uis atque poteſtas, h. e. facultas, aut ius, quid ſtatuendi ac faciendi, tum in perſona pupilli, tum in rerum pupillarium adminiſtratione, *l. 1. π. de tutel.* Atque tutor non tantummodo rebus, ſed etiam pupilli moribus, praeponitur, *l. 12. §. 3. π. de admin. tut. et curat.* Ex quo conſequitur, tutorem etiam prohibere poſſe, pupillus ne laruas induat, atque ad perſonatos accedat. Immo peccare tutorem, ſi hac in parte negligentem ſe gerat, et patiatur, teneram aetatem illecebris hiſce corrumpi. Curatoris non tanta poteſtas eſt in perſonam minoris, cum eius cura in primis res reſpiciat, et poſtea demum in quibuſdam ad perſonam ſe extendat. Atque hinc etiam, licet habeant curatores adoleſcentes, illa tamen, quae ad ſuam tantum perſonam pertinent, libere agere poſſunt, *l. 101. π. de V. O.* Nullus tamen dubito, et curatoris eſſe, cauere, quoad eius fieri poteſt, ne adoleſcens, cuius curam gerit, in eas res incidat, quae ad praua deducunt. Etſi uero tutor peccet, neceſſaria denegans pupillo, uel curator minori, atque, tantum ſuſpectus, uterque remoueri poſſit; immo, ſi propter inopiam neget, alimenta poſſe decerni, idque per mendacium, ad praefectum urbi extra ordinem puniendus remitti debeat, *§. 9. et 10. l.*

de

de susp. tut. ibi *DD.* Omnia tamen haecce ad illum non pertinent, qui sumtus ad mascherarum usum suppeditare detrectat, quin potius nullum dubium, peccare tutorem, uel curatorem, si tales sumtus, haud expedientes pupillo, uel minori, faciat, *l. 1. §. 4. et 5. de tutel. et ration. l. 12. §. 3. de admin. et peric. tut. et curat. l. 32. §. 5.* ibi: *sumptibus uoluptatis caussa π. eod.* Montanus, de *Iure tutel. cap. 40. n. 44. seqq.* Atque adeo aegre ferre non debet, si eiusmodi impensae postea ex rationibus expungantur.

§. XLII.

Quod si tamen fortasse pupillus, uel minor, in ministeriis aulicis uiuat, uel alias ob conditionem personae suae non possit commode et honeste se subtrahere his lusibus, uel si occasione eiusmodi rei Principis gratiam aucupari queat honeste, non impediendus est a tutore uel curatore, qui et sine periculo sumtus hanc in rem tum poterit subministrare, pro dignitate et facultatibus pupilli, uel minoris, arg. *l. 12. §. 3. l. 13. π. de admin. et peric. tut. et curat.* Cum de administratione tutorum loquimur, uenit in mentem, an, si fortassis pupillus, uel minor, in hereditate paterna habeat uestimenta eiusmodi pretiosa, aliasque res, quae ad usum mascherarum pertinent,

tutor illas res ſine decreto uendere ac alienare poſſit, aliiſque ſolemnibus, quae in *Tit. de rebus eorum, qui ſub tutela uel cura ſunt, etc.* requiruntur. Cuius rei deciſio non erit difficilis, modo conſtet, num res hae tales ſint, quae ſeruando ſeruari poſſint, an ſecus? Priori caſu, cum res iſtae morali aeſtimatione immobilibus aequiparentur, haud ualide fieri poterit alienatio, ſolennibus legalibus deſtituta, *l. 22. C. de adminiſt. et peric. tut. et curat.* ubi *DD.* Poſteriori caſu aliud dicendum erit, *DD. ad l. 7. §. 1. π. de adminiſtr. et peric. tut. et curat.* Quaenam autem res tales ſint, quae ſeruando ſeruari poſſint, Hahnius docet ad *tit. de rebus eorum, qui ſub tutel. etc. n. 3.* Quae hac parte a *DD.* congerantur temperamenta, ſuperuacaneum eſt, hic recenſeri, et alibi legi poſſunt.

§. XLIII.

Potiſſimum uero officium tutoris eſt, ut auctoritatem praeſtet pupillis, uti curatores conſenſum minoribus, qua de re peculiaribus titulis in libris ac compendiis iuris, agi ſolet. Hic illa ſe ſiſtit quaeſtio: utrum a laruato tutore pupillo, cum aliis laruatis hominibus contrahenti, auctoritas praeſtari poſſit? quae quidem quaeſtio ex ſuperioribus facile ſolui poteſt. Quod ſi enim perſonae ſibi inuicem ignotae ſint, incertumque, quis ille, qui pro tutore ſe gerat, nihil actum utique

utique eſt, et cenſendum potius, iocatos eſſe perſonatos homines, quam ſerio id egiſſe. Quando tamen aperto uultu omnia haec geſta ſunt, atque de conſenſu partium conſtat, atque reliqua ſe recte habent, non uideo, quae tandem cauſſa ſit, quam ob rem ſola perſona, qua teguntur, negotium impediat. Omnia uero haec intelligi uelim de negotiis, quae extra iudicium geruntur. Nam de illis, quae, praeſente praetore, aguntur, cauſſis, iam ſaepe dixi, ualde abſonum eſſe, ſi coram magiſtratu perſonati compareant, uel ipſe magiſtratus perſonatus officio fungi uelit. Atque haec, quae proxime dicta, ad curatores feminarum, quae maiores, ſimiliter applicanda, qui alioquin, cum nullam habent bonorum adminiſtrationem mulierum, curae ſuae commiſſarum, nec in earum perſonas poteſtatem, CARPZOVIVS, *P. 2. C. 15. Def. 33. n. 6. et Def. 38.* non impedire poterunt mulieres, quo minus maſcheris utantur, uel has in res ſumtus faciant. Quoniam tamen conſilio iuuare debent easdem, curatoris eſt, prudenter monere, ne ſibi noceant, ſed ut tum ſumtibus, tum famae, parcant. *Omnia, enim, quae in bonis fortunae quiſquam poteſt facere, damna ne minimae quidem famae iacturae aequari poſſunt. Si quis uulgi ſermonibus famam ſuam, ueluti ſcopum ſagittariis, obiicit, e centum ſagittis uix una aberrabit. Rurſum uero, cui pudor periit, quique nulla exiſtimationis cura afficitur, ab eo*

non

non est, quod opus ullum laudabile expectemus. GVEVARA, *Horolog. Princip. lib. II. cap. 10.*

XLIV.

Haec igitur de iure mascherarum, ad *personas* quod attinet, tradidisse, sufficiat. Ea uero, quae de eodem iure, quoad *res* et *actiones*, dicenda restant, in praesens addere, atque institutum nostrum ulterius prosequi, temporis ratio non sinit, praesertim, cum Noster Iurium Candidatus remis uelisque in patriam omni festinatione contendat. Itaque in hactenus dictis potius acquiescendum erit. Interea Summo Numini sit laus, honor et gloria.

